Incipit Liber Primus:



CUM SEDEREM
aliquando in conventu fratrum. et
illis interrogantibus meque responden-
te multa in medium prolata fuis-
sent: ad hoc tandem deducta sunt verba.
ut de humani cordis potissimum
instabilitate et inquietudine am-
mirari omnes simul et suspirare in-
ciperemus. Cumque magno quodam desiderio
exposcerent demonstrari sibi que causa
in corde hominis tantas fluctuatio-
nes cogitationum ageret. ac deinde
si qua arte sive laboris exer-
citatione huic tanto malo obvia-
ri posset. summopere doceri flagi-
tarent: nos quantum deo aspirante
valuimus. in utroque caritati fratrum
satisfacere volentes utriusque questionis
nodum ductis tam ex auctoritate
quam ex ratione firmamentis solvimus. In
qua collatione quia quedam spiritualiter pla-
cuisse fratribus scio: ea potissimum
stilo commendare volui. non tamen ideo quod
ea digna scribi existimem. sed quia ideo quod
quibusdam prius inaudita et ob hoc quodammodo
magis grata esse cognovi.

Primo igitur demonstrandum est unde
tanta in corde hominis vicissitudo oriatur.
ac deinceps quomodo ad pacem stabilem mens
humana reduci. qualiterque in eadem sta-
bilitate sua conservari possit insinu-
andum. Et licet hoc opus divine gratie proprium
esse non dubitem. et non tamen humana indus-
tria quam divino munere et sancti spiritus aspiratione
possideri. scio tamen quod cooperari vult
nobis deus. et sic gratis pietatis dona parat.
ut ingratis ea etiam que prestiterat sepe
subtrahat. Preterea etiam idcirco non
inutile est et infirmitatis nostre
magnitudinem et reparationis
modum agnoscere. quia qui quanta sibi
gratia collata sit nescit. quantas lar-
gitori grates debeat non intelligit.

Primus itaque homo ad hoc con-
ditus fuit. ut si non peccasset: per
contemplationis presentiam vultui cre-
atoris semper assisteret. ut eum
semper intuendo semper amaret. semper
amando semper ei adhereret.
semper ei adherendo qui immorta-
lis est: etiam ipse vitam sine termino
possideret. Hoc erat igitur unum
et verum bonum hominis. plena
scilicet et perfecta cognitio sui